



DISSERTATIO PHILOLOGICA  
DE  
**STILO MOSIS**

---

QVAM  
*PRAESIDE*  
DOM. IOH. ANDR. MICH.  
NAGELIO  
METAPHYS. ORAT. ET LING. ORIENT.  
PROF. PVBL. ET BIBLIOTHEC.  
*PRAECEPTORE AC PATRONO OMNI HONORIS*  
*AC PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO*  
D. II MAII A. S. R. MDCCCCLV  
IN CIRCVLO ACADEMICO  
DEFENDET  
*AVCTOR RESPONDENS*  
CHRIST. GOTTL. HOFFMANNVS  
NORIMB.

---

*ALTDORFII*  
TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

*PERILLVSTRIBVS ATQVE GENEROSISSIMIS*  
DOMINIS

DOM. IOHANNI CAROLO  
LOEFFELHOLZIO

A COLBERG IN ZERZABELSHOF

TRIVMVIRO

AC REI SACRAE ET LITERARIAE EPHORO

DOM. IOHANNI ADAMO  
RVDOLPHO CAROLO  
GEVDERO

AB HEROLDSBERG IN STEIN

DOM. GEORGIO FRIDERICO  
POEMERO

DOM. CAROLO FRIDERICO  
BEHAIMIO

DE SCHWARZBACH

SENATORIBVS CONSVLARIBVS  
ET ACADEMIAE ALTORFINAE

DOMINIS CVRATORIBVS



PRAESIDIIS ET ORNAMENTIS REI COMMVNIS  
SACRAE ET LITERARIAE  
MERITORVM NUMERO ET MAGNITVDINE  
SPLENDIDISSIMIS  
DOMINIS ET MAECENATIBVS MEIS  
BENIGNISSIMIS GRATIOSISSIMISQVE  
HOC SPECIMEN  
TAMQVAM PRIMITIAS ACADEMICAS  
CAVSSA GRATI ET PII ANIMI TESTANDI  
EO QVO PAR EST CVLTV  
ET DEMISSIONE MENTIS  
D. D. D.  
TAM ILLVSTRIVM NOMINVM

CVLTOR ET CLIENS HVMLLIMVS OBSEQVENTISSIMVSQVE  
AVCTOR RESPONDENS  
CHRIST. GOTTL. HOFFMANNVS  
NORIMBERGENSIS.



## PROOEMIUM.



*Specimen Academicum editurus, nonnihil de MOSIS  
stilo commentari mecum constitui. Quod quidem  
ita faciam, ut rhetorum praecepta et regulas ad  
eius elegantissimam elocutionem applicem, num-  
quam tamen obliuiscar, eum a Deo fuisse in-  
spiratum, atque adeo ei omnia cogitata et uerba a summo  
Numine esse suggesta, quae scriberet. Id quod tamen  
meo instituto non aduersabitur; quum res sit certa atque  
comprehensa, Spiritum Sanctum se in inspiratione sancto-  
rum scriptorum V. et N. Testamenti ad stilum demisisse,  
quem sibi unusquisque eorum usu parauerat; unde quoque*

diuersitas illa generum dicendi et scribendi orta est, quam in diuinis libris reperimus. Quo magis autem haec res cum uitae et studiorum meorum ratione conuenit: eo magis opto precorue, ut aequos et benignos lectores et iudices nanciscar.

§. I.

Quid sit stilus?

**S**tilum habitum esse censeo, animi sensa literarum monumentis declarandi. Est uero stilus proprie columna, aut res acuminata; unde etiam instrumentum scriptorium ex altera parte acutum designat. PRUDENTIVS *Peristeph. hymno XII, u. 13, seqq.*

*Innumeri circum pueri, (miserabile uisu,)  
Confossa paruis membra figebant stilis.  
Vnde pugillares soliti percurrere ceras,  
Scholare murmur annotantes scripserant.*

Tandem significationem suam inde cepit, adhibita et posita caussa instrumentali pro effectu, genus dicendi et scribendi; unde TERENTIUS in *Andriae prologo* dixit: *Dissimili oratione sunt factae ac stilo.* Quae DONATVS ita collustrat: *Oratio in sensu est; stilus in uerbis. Oratio ad res refertur; stilus ad uerba.* --- *Orationem in sententiis dicunt esse, stilum in uerbis, argumentum in rebus. Ergo in poemate oratio est.* Facile itaque patet, *stilum, elocutionem, et orationem idem sonare; etsi elocutio et oratio maxime de stilo oratorio usurpatur, quod orationes dicuntur et reci-*

recitantur. De uoce *stilus* confer IOH. NIC. FVNCCIVM in *commentatione de scriptura ueterum pag. 114 seq.* et IOH. SCHEFFERVVM de *stilo, exercitiisque eius*, ab initio.

§. II.

Stilus itaque bonus est habitus animi sensa literis sic, *Quis stilus ut rebus, et regulis scribendi conuenit, exprimendi.* Et *fit bonus, huc spectat SCHEFFERI definitio, qui loco citato, statim a primordio: stilus est facultas, inquit, prompte decoreque consignandi scripto, quidquid animo concipitur.* Quod si igitur quis sic aliquid exarat, ut eius scribendi genus cum argumento et regulis scribendi minus congruat, stilus eius est malus. Quum autem MOSES historicus sit, legislator, poeta, orator; uidendum nobis est, quod de eius stilo agere constituimus; quis stilus historiam, leges, carmina, et orationes, deceat, et quam conuenienter MOSES ubique scripserit.

§. III.

Iam potiores leges stili historici recensēbimus, quas deinde a MOSE probe seruatas esse ostendemus. Dubio *stat leges stili historici?* procul historicus usum loquendi, et perspicuitatem in scriptis suis tueri debet, ut facile intelligatur, nec legentes frustra moretur. Recte haec, et alia huc pertinentia, LVCIANVS in *commentatione sua, quomodo conscribenda sit historia*, ab historico exigit, qui *tomo primo operum pag. mihi 632* ait: *ἡ λέξις δὲ, σαφής, καὶ πολιτικὴ, διὰ ἐπισημώτατα δηλῶν τὰ ὑποκείμενα. ὡς γὰρ τῆ γνώμῃ τῆ συγγραφέας σκοπὸς ὑπεδέμεθα, παρρησίαν, καὶ κλήθειαν, ἔτω δὲ καὶ τῆ φωνῆ αὐτῆ, εἰς σκοπὸς ὁ πρῶτος, σαφῶς δηλῶσαι, καὶ φανότατα ἐμφανίσαι τὰ*

τὸ πρᾶγμα μήτε ἀπορήτοις, καὶ ἔξω πάττε ὀνόμασι, μήτε τοῖς ἀγοραίοις τέτοις, καὶ καπηλικοῖς, ἀλλ' ὡς μὲν τὰς πολλὰς συνιέναι, τὰς δὲ πεπαιδευμένους ἐπαινεῖσαι. Id est: *Distio uero perspicua et civilis, quam significantissime materiam explanans. Nam ut menti scriptoris huius scopos proposuimus, dicendi libertatem, et ueritatem: ita et uoci eius unus hic esto scopus, ut rem plane aperiat, et quam lucidissime declaret, uerbis neque obscuris, neque ab usu remotis, neque etiam uulgaribus huius et tabernariis, sed quae uulgus intelligat, et eruditi laudent.* MOSEN autem usum loquendi, quoad quidem id fieri decuit, et de hac re nostro tempore iudicare possumus, tenuisse, ex IO-SVAE libro constare potest. Neque huic sententiae obfunt singularia quaedam, quae in sermone mosi deprehenduntur. Quis enim est scriptorum Graecorum et Latinorum, qui uel florentissima lingua scripsit, qui non uocabula aliqua, uel uocum structuras sibi proprias, habeat? Qui singularia quaedam in mosi stilo obuia scire cupit, adeat M. IOH. DANIELIS KIESSLINGII de *dialectis Ebraeorum puris dissertationem secundam, eamque specialem, quoad aetatem Mosi, Lipsiae 1712 habitam.*

## §. IV.

De perspicuitate, quam ad elocutionem historicam pertinere uidimus, egregie, more suo, agit QVINCTILIANVS *libr. VIII, cap. 11, instit. orat.* Requirit ante omnia in stilo illustri uerba propria. *Perspicuitas, inquit, in uerbis praecipuam habet proprietatem.* Quicumque uero uel primum *cap. Geneseos* perlegerit, mosi stilo uerborum proprietatem non denegabit. Si uocabulo utatur translato, id facit significantissime, atque adeo etiam rectissime;

De perspicuitate stili.

sime; unde et haec translata pro propriis haberi possunt. QVINCTILIANVS *l. cit.* Non tamen quidquid non erit proprium, protinus et improprii uitio laborabit; et posthaec: *Etiams quae bene translata sunt, propria dici solent.* Facit huc quoque ARISTOTELES, qui libro III *rhet. cap. II, §. 16,* haec habet: *Τὸ δὲ κύριον, καὶ τὸ οἰκείον, καὶ μεταφορὰ, μόναι χρήσιμοι πρὸς τὴν τῶν φίλων λόγων λέξιν. Σημείον δ', ὅτι τέτοις μόνοις πάντες χρῶνται. πάντες γὰρ μεταφοραῖς διαλέγονται, καὶ τοῖς οἰκείοις, καὶ τοῖς κύριοις.* Id est: *Propria uero tantum nomina, atque sua, et translata ad solutam orationem exornandam sunt utilia; cuius rei signum est, quod his solis omnes utuntur. Nam in loquendo translatis, et suis, et propriis nominibus quilibet utitur.* Sic utitur MOSES *cap. I genes.* aliquoties metaphora, sed aperta et significante, dum uerbi causa u. 18, soli et lunae dominium diei et noctis adscribit, quod nobis diei et lunae lumen, tamquam eius domini, largiuntur; itemque u. 22, ubi Deus animalia fructus ferre iubet. Quicumque alia capita mosi, ubi in argumento historico uersatur, attente perlegit, eum ubique sui similem esse intelliget. Videatur exempli causa *cap. XII genes.* in quo paucae translationes, sed faciles et significantes, in sunt, u. g. uersu 10, in uoce ככר, quae I SAM. III, u. 18, proprie usurpata reperitur. Quemadmodum enim ibi quisque qui fructus imaginatur, facile magnam copiam cogitat; ita quoque hic sub graui et ponderoso, nullo negotio, et ampliato significato, difficultatem sese expediendi intelligimus.

## §. V.

Recte quoque ab historico, qui perspicuus esse cupit, exigitur, ut certos habeat uocabulorum significatus, *De constantianonum in stilo historico.*

nec uarie iis alias hac alias alia utatur notione, nisi id usus loquendi permittat, et totus sermo facile indicet, quo sensu uox aliqua capienda sit. Neque uero bonae translationes, quibus scriptor aliquis utitur, in causa esse possunt, ut hanc regulam temere neglexisse dicatur; quum eiusmodi stili lumina rem partim illustrent, partim ob linguae alicuius indigentiam; partim decori tuendi causa, quod uoces propriae interdum tollerent, iure meritoque adhibentur. Sic quoque synecdoche et metonymia ostendunt, quid potissimum in re spectandum sit, atque adeo, ut alii tropi, si commodo occurrant loco, laudem merentur.

§. VI.

*Aliae leges stili clari.*

Quae praeter propria uerba cum studio perspicuitatis in scribendo coniuncta esse debeant, **QUINCTILIANVS l. c. pag. mihi 352**, ita docet: *Nobis prima sit uirtus perspicuitas, propria uerba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio: nihil neque desit, neque superfluat. Ita sermo et doctus probabilis, et planus imperitis erit.* Antequam uero ostendam, haec **QUINCTILIANI** edicta, et laudum genera in **MOSES** stilum cadere, monendum mihi est, me de ordine rerum, rebusque ipsis, quas **MOSES** memorat, in hac commentatione dicturum nihil; quum in iis enarrandis et proponendis iussa diuina et inspirationem pertinet, dispicere, qua elocutione, et quo ordine uerborum, res has expresserit. Rectum uero ordinem **MOSEN** in uerbis suis ueri, facile cuius lectori eius clarum fit atque comprehensum. Considera initium *cap. II genes.* et statim apparebit; egregium adesse uerborum ordinem. Vocabula enim primaria, et quae cetera regunt, ac sensus causa primum concipienda sunt, in primordiis uersuum et sententiarum,

ab

ab ipso ponuntur. Sic loco citato, *u. I*, ab initio adest uerbum **וַיְכַל**, tamquam princeps uox in hoc uersu, quae docet absoluta iam fuisse caelum et terram. Alter uersus orditur a uocibus **וַיְכַל אֱלֹהִים**, quia solus Deus ea condere ualuit. Dimidius uero hic uersus a uerbo **וַיִּשְׁבֶּת** incipit, quod haec quies notio eius principalis est. Tertius primordium capit a uoce **וַיְבַרַךְ**, quae itidem primaria est in uersu. Adde his alia *u. g. cap. XVIII genes.* et eandem optimi ordinis speciem uidebis. Vox prima hic est **וַיְבֹרֵאן**; nam nisi angeli uenissent, nec cetera ita euenissent, ut euenerunt. Vox itaque haec est princeps, unde etiam primo stat loco. Postea, qui uenerint, dicit, quo, quando, ad quem accesserint, quo **LOTVS** tunc fuerit statu, ut eos conspexerit, et quid iis uisis fecerit. Ecquis iam in hoc uerborum ordine aliquid reprehendat? Inest praeter bonum ordinem in hoc capite, ut alias in **MOSES** stilo, puritas, quae existit, si casus rectus ab initio occurrat, uti hic *u. I: et uenere duo angeli; et mox; et uidit LOT; u. 10; et miserunt uiri; u. 12; et dixerunt uiri; u. 14; et exiit LOT etc.* Laudat **HERMOGENES** puritatem hanc, quod ad orationis perspicuitatem facit, de *formis orationis libr. I, c. III, p. m. 259. seqq.* ubi ait: *Σχήμα δὲ καθαρότητος ἢ ὀρθότητος. οἷον, ἐγὼ γὰρ, ὡς Ἀθηναῖοι, προσέειπα ἀνδρῶπι πονηρῶ, καὶ Φιλαπεχθίμονι. - - εἰσίδεν δὲ ἔσαι δῆλον ὃ λέγω. τὸ γὰρ, ἦν Κανδαύλης, καὶ τὸ, Κροῖσος ἦν, καὶ τὰ τοιαῦτα, οὕτω μὲν εἰσφερόμενα κατ' ὀρθότητα, καὶ καθαρὸν ποιεῖ τὸν λόγον, καὶ σαφῆ. Id est: Figura puritatis est illa, quae uocatur rectitudo s. rectus casus; ut: ego enim, o Athenienses, illi ad hominem improbum et contentiosum. - - Hinc et erit manifestum quod dico; nam hoc: erat Candau-*

B 2

les

les, item Croesus erat, et similia per rectos casus prolata, puram reddunt orationem et perspicuam.

§. VII.

De periodis historis.

Tandem ostendemus, MOSEN sermonem suum in historiis, iustis periodis conclusisse, neque nimia breuitate, neque inani uerborum copia laborare. Dum autem mosi periodos tribuimus, non de illo cogitamus ambitu, cui et Graeci et Latini oratores student, sed sermonem intelligimus, quem commoda interpunctio et distinctio per clausulas ornat. Mentionem harum periodorum fecit DEMETRIUS PHALEREVS, siue quisquis ille est, de elocutione sect. XVIII, p. m. 16, ubi ita differit: Τρία δὲ γένη περιόδων ἐσίν, ἰσορική, διαλογική, ῥητορική. ἰσορική μὲν ἢ μίτε περιηγμένη, μίτ' ἀνεμμένη σφόδρα, ἀλλὰ μετὰ εὐ ἀμφοῖν. ὡς μίτε ῥητορική δόξειεν καὶ ἀπίθανος διὰ τὴν περιαγωγὴν, τὸ σεμνὸν τε ἔχουσα καὶ ἰσορικὸν ἐν τῆς ἀπλότιτος. οἷον ἢ τοιαύδε, Δαρεῖς καὶ Παρυσάτιδος γίνονται, μέχρι τῆς, Νεώτερος δὲ Κύρος. ἐδραία γὰρ τινὶ καὶ ἀσφιλῆ καταλήξει εἰσικεν αὐτῆς ἢ ἀπόθεσις. Hoc est: Tria autem genera periodorum sunt, historica, dialogica, oratoria. Historica quidem, quae neque circumacta, neque remissa uebementer, sed in medio ambarum: ut neque oratoria uideri possit, et aliena a persuadendo propter circumactionem; honestatemque habens et historicum ex simplicitate: ceu ista: Δαρεῖς καὶ Παρυσάτιδος γίνονται; usque ad: Νεώτερος δὲ Κύρος. Solidae enim cui-dam et firmae terminationi uidetur similis ipsius clausula. Vellem, DEMETRIUS exemplum periodi suae historicae totum exhibuisset, quum mihi non constet, unde illud accepit; quod etiam neque GALE neque VOSSIVS indicauit, quo-

quorum posterior in arte historica cap. XXVIII, p. m. 140. Quae ibidem, inquit, etiam exemplis Demetrius illustrat. Sed nisi praecepta DEMETRII clara essent, ex mutilis exempli uerbis parum de hac re sciremus. At iam ad MOSEN redimus. Elucet autem, quod diximus, nimirum MOSEN bonas habere periodos historicas, u. g. ex cap. XXXI genes. ubi uersus primus hac periodo constat: *audiuisse Iacobum, filios Labanis dixisse, se patri eorum facultates eripuisse, et hoc modo diuitem factum esse.* Quae periodus certa firmaque clausula terminatur. Versus secundus hunc complectitur orbem: *Iacobum obseruasse, ipsum Labanum se non amplius amico uultu adspicere.* In tertio haec inest periodus: *Dixisse Deum Iacobo, rediret domum paternam, se ei auxilio fore.* Quartus et quintus simul hac absoluuntur periodo: *Iacobum uxores suas ad se euocasse, et de patris earum inhumanitate questum, ac se diuino auxilio consolatum, esse.* Quae omnia, uti alia, in ipso rite constituta sunt. Neque, uerba ubi non decet, praeciduntur, neque luxuriantur. Quodsi ellipses habet, uti profecto habet, facile intelliguntur. Ceterum de ellipsis Hebraicis uideatur CHRIST. THEOD. VVALTHERI dissertatio a SCHOETTGENIO aucta et libelli forma denuo edita.

§. VIII.

MOSEN interdum breuius in historiis suis scribere potuisse, quidam opinantur. Ita putant eum in fine exodi, postquam cap. XXV seqq. narrauit, quomodo Deus tabernaculum construi iusserit, paucis dicere potuisse totum tabernaculum, et quae ad id pertinebant, secundum Dei mandatum confecta esse. Sic quoque breuiter narrare potuisse uidetur Num. VII, principes Israelitarum aequalia attulisse dona, quae uero sigillatim recensuit.

fuit. Ad quae uero ita respondemus: Primo MOSI in his proferendis nullam fuisse libertatem secundum ea, quae §. 6 dicta sunt. Deinde, omissis etiam iis, quae iam ab aliis annotata sunt, alios esse mores populorum Orientis priscosque, alios uero recentes nostrosque. Nam, praeter alias, et hanc causam harum repetitarum historiarum esse, recte asseuerare possumus, quod Deus in uerbo suo proponendo, et inspirando, se cum omni tamen decore, ad cogitandi et loquendi modum illum demisit, cui populus suus assuetus erat. Nam neque Numen supremum ab illa aeterna intellectus regula sine causa discedere: usum loquendi esse seruandum, etiam ex stilo Noui Foederis liquet. Veteres autem in genere saepius quaedam repetiisse, quam iam sit, antiquissimi scriptores, HOMERVS, aliique, argumento sunt. Tandem id peculiare aliquid est gentibus orientis, ceu etiam ex ISMAELE ABVLFEDA apparet, de quo GAGNIER in praefat. pag. I seq. ita censet: *per totum Orientem celeberrimus Ismael Abulfeda, princeps Hamae in Syria, et nomine, et generis nobilitate, nec non doctrinae fama pridem etiam apud Europaeos satis notus; in quo nec linguae proprietatem, nec sermonis elegantiam desideres.* Hic disertus princeps in uita MOHAMMEDIS cap. XVIII, p. 34 seqq. fictum iter MOHAMMEDIS in caelum narrat, et quomodo cum GABRIELE usque in septimum caelum penetrarit. Narrationis initium ex uersione GAGNIER hoc est: *Deinde mecum processit Gabriel, donec peruenit ad caelum mundi (primum).* Et pulsauit ianuam. Dictum fuit ei: quis est hic? respondit: Gabriel. dictum fuit ei: et quis est tecum? respondit: Mohammed. dictum fuit: iamne missus est apostolus? respondit: etiam. Dictum fuit: quod ei feliciter uertat; iam gratissimus aduenerit. Et aperta fuit ianua. Cumque introgressus essem; et ecce ibi Adam. Dixit-  
que

que (mibi Gabriel): hic est pater tuus Adam; saluta illum. Et salutauit eum; et ille salutem reddidit dicens: Quod feliciter uertat filio optimo, et prophetae optimo. Quod si quis iam reliqua sex itinera, siue mendacia, in reliquos caelos in ABVLFEDA perlegere instituat, sentiet omnia uerba praeter numerum caeli, et eorum nomina, quae in uno quolibet caelo, MOHAMMED uidisse et compellasse dicitur, septies ab scriptore iterata esse, cuius scribendi facultatem totus, nec solus Oriens, admiratur. Quod si itaque hoc ABVLFEDA cum laude facere potuit, quidni et MOSI rectissime licuerit? Nemo tamen dicat, me in opinione esse, scriptorum a uero cultu Dei remotorum exempla MOSI stilo auctoritatem conciliare. Si nemo uti MOSES scripsisset, nihilominus optime scripsisset. Id dumtaxat specto, prauos homines male in MOSE reprehendere, quod tot homines non sine causa in aliis sine offensione legunt, laudant, et admirantur.

§. VIII.

Iam de ornatu, quo MOSI stilius historicus lucet, *De ornatu stili historici MOSES; et de figuris eius.* dicemus. Quamuis enim historicus, si res gestas recenset, ab ornatu illo se abstineat, quem orator ambit, neque tamen eius stilius omni-uacare debet ornatu. Hinc LVCIANVS l. c. pag. mihi 632 ait: *καὶ μὴν καὶ σχήμασι κεκοσμησθῶ ἀνηπαχθεσί, καὶ τὸ ἀνεπιτήδευτον μάλις αἴχρισον. ἐπεὶ τοῖς κατηρτυμένοις τῶν ζωμῶν εὐκότως ἀποφαίνει τὸς λόγους.* Id est: *Quin etiam figuris ornatur non molestis, et non affectatis: siquidem illud orationem condimentis frivilem reddit.* Sic epanodos occurrit genef. XIII, 9. *אם השמאל ואימנה ואם הימן ואשמאילה* item cap. XVI, 12. *ידו בכל ויר כל בו.* Epistrophe, eaque



eaque admodum plana, legitur *genes.* VII, 14; et *cap.* I, opificia sex dierum creationis iterata *symploce*, uerbis **וַיֹּאמֶר יְהוָה**, enarrantur. *Concinnitas* siue *paronomasia* exstat *exod.* II, 10, in uocibus **מִשְׁתַּחֲוִי** et **מִשָּׁה**.

§. X.

De tropis  
in MOSIS  
stilo histo-  
rico.

Tropos in MOSE reperiri, eo minus mirum est, quod lingua Hebraea saepe tropos u. g. *synecdochen*, tamquam idiotismum habet, uti nemini linguae Hebraeae perito ignotum est, cuius adeo exempla hic profereamus nulla. *Metaphoras* MOSES haud raro in historiis habet, quas etiam cum aliis tropis Graeci in sermone perspicuo adesse debere dicunt. Sic ARISTIDES de *ciuili dictione* libr. I, *cap.* X, p. mihi 285 *seq.* dicit: **Σαφύνηια δὲ καὶ καθαρότης γίνεται κατὰ γνώμην, κατὰ σχῆμα, καὶ κατὰ ἀπαγγελίαν.** - - Κατὰ δὲ ἀπαγγελίαν, οὕτως ὅταν τις κοινοτέροις τοῖς ὀνόμασι χρῆται, καὶ τοῖς σημαντικῶς τοῖς σφόδρα, καὶ τοῖς ἐνεργετέροις διλῶσι τὰ πράγματα. καὶ ὅταν ἀφηγηματικῶς σχήμασι χρῆται. καὶ ὅταν τις ἰσοδυναμίῃσι λέγῃ, τὰ τροπικὰ λέγει καὶ μεταφορικὰ, ἰσοδυναμῶντα τοῖς κυρίοις δηλονότι. καὶ ὅταν τις πραοτέροις ἀντὶ τῶν τραχέων. Id est: *Perspicuitas ac munditia, sententia, figura, dictione, constat.* - - *dictione, si ea uocabulis communibus, ualde significantibus, remque ipsam quam luculentissime designantibus, constet; Si figuris narrationi accommodatis; si uocabula uites idem significantia, usurpes tropica et metaphorica idem propriis significantia, si mixtura loco asperiorum ponas.* Ita *metaphora* inest in uerbis, quando MOSES se *exod.* VI, 12. **עַרְל שְׂפָתַי** hominem incircumcisis labiis uocat, id est, impe-

impedita lingua utentem, et balbutientem; conf. §. III, *diff. huius.* *Metonymiae* tropus reperitur *genes.* VI, 12, ubi corrupta terra, pro perditis eius incolis, dicitur. Sic quoque *exod.* I, 21, **בָּתִּים** domus, metonymice pro familiis ponuntur. Ceterum hos tropos non esse licentiosos, nec nimis iis MOSEN in stilo historico usum esse, cuius lectori facile innotescit. Plura qui desiderat, ea et ex ipso MOSE, et ex GLASSIO, colligere poterit.

§. XI.

Iam ad facultatem oratoriam et poeticam MOSES *De facultate MO-* transeamus. Quemadmodum autem ratio metri ueterum *SIS oratoria.* Hebraeorum, si ueritas fatenda est, nos hodie plane latet: ita quoque orationes eorum potissimum elocutione ab aliis stili generibus differunt. Non enim hic ita ad pompam numeri oratorii, aut extensarum periodorum procursum, uti apud Graecos Latinosque respicitur; quae calens Hebraeorum ingenium, tamquam impedimenta naturae suae, repudiabat et interrompebat. Quocirca dumtaxat elocutionis ornamenta in orationibus MOSES eiusque carminibus considerabimus. *Facultas oratoria MOSES* facile ex *deuteronomio* intelligitur. Valde percellens uerbi caussa est illa *symploce*, quae ibi *cap.* XXVII, 15 *seq.* legitur: **אָרָר - - וַאֲמַר כָּל הָעָם אִמֵּן**. Hanc sequitur statim *cap.* *seq.* u. 3 *seqq.* itemque u. 16 *seqq.* elegans *anaphora* in uocibus **אָרָר** et **בְּרוּךְ**. Versu 8 uerba **יְהוָה אֵתְךָ אַתְּ הַבְּרָכָה** insigni sublimitate praedita sunt; quam etiam *genes.* I, 3, et similibus locis inesse uidemus. Locum *genes.* I, 3, iam LONGINVS *sect.* 9, p. m. 60, *seq.* sublimitatis nomine recte laudauit, ubi egregie ita disputat: **Ταύτη καὶ ὁ τῶν Ἰσραήλων θερμοδέτης,**

Ἰσχυρῶς, ἔχ' ὁ τυχῶν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τῷ θεῷ δύναμιν  
 κατὰ τὴν ἀξίαν ἐχώρησε, καὶ ἐφῆνεν εὐθύς ἐν τῇ εἰσ-  
 βολῇ γραφῆς τῶν νόμων, Εἶπεν ὁ θεός, Φησὶν τί;  
 γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο. γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο.  
 Hoc est: Hac item mentis altitudine Iudaeorum legislator,  
 uir minime contemnendus, dignam Deo potentiae eius cepit  
 imaginem; digneque elocutus est. Nam in ipso statim legum  
 suarum principio: Dixit Deus, inquit. Quid? fiat lux;  
 et facta est. Fiat terra; et facta est. Sublimitas hic inde  
 oritur, quod uerba mosi potentiam diuinam significan-  
 tissime et lucidissime ostendunt, dum dicit, solo uerbo  
 eum lucem condidisse. Qui autem hic nihil sublimitatis  
 uidere queunt, sublimē et magnificum, discernere ne-  
 queunt. Suffurati sunt MOHAMMEDES, et sectatores eius,  
 hanc sublimitatis formulam MOSI, unde MOHAMMEDES in  
 Corano, Sura II, u. III, dicit: (Deus) est conditor caeli  
 et terrae, et quando aliquid decreuit, tum dicit ei: esto; et  
 est; et OLAODDINVS apud ACHMEDEM ARABSIADEN in hist.  
 Tamerlanis p. 103 canit: Ne contristeris, quae enim Deus  
 decreuit, erunt. Et res commissa τῷ esto, certissime fiet.  
 Conf. NICOL. GVIL. SCHROEDERVIVM ad quatuor prima capita  
 geneleos Turcice et Latine edita pag. 3. Stilo autem hi-  
 storico etiam conuenire sublimitates, LVCIANVS l. supra  
 dicto, pag. 632 recte statuit, qui haec habet: ἡ λέξις  
 δὲ ὁμοίως ἐπὶ γῆς βεβημέτω, τῷ μὲν κάλλει, καὶ τῷ  
 μεγεθεὶ τῶν λεγομένων συνεπαγομένη, καὶ ὡς ἐνι μὲ-  
 λιστα ὁμοιωμένη, καὶ ἐννέουσα δὲ, μηδ' ὑπὲρ τὸν καιρὸν  
 ἐπιδεικνύσα. Id est: Ac dictio tamen humi incedat, cum  
 pulchritudine quidem, ac magnitudine eorum quae dicuntur  
 sublata: et iis quam maxime assimilata: sed nihil peregrini  
 praeseferat, nec intempestiue exultans, quasi quodam fu-  
 rore

rore concitetur. Sic quoque deut. in loco antea laudato  
 summi Numinis potentia egregie et cum sublimitate de-  
 claratur, quum MOSES dicit, Deum benedictioni et felici-  
 tati praecipere, id est, uerbo efficere posse, ut ea  
 fit, et eo ueniat, ubi eam esse uelit. Coniuncta quo-  
 que est cum hac sublimitate pulchra prosopopoeia, quod  
 Deus felicitati, tamquam personae praecepta dare dica-  
 tur. Mox uersu 12, splendido et insigni modo caelum  
 conditorium boni appellatur. Concurrunt hic *synecdoche*,  
 quod caelum atmosphaeram indicat; *metonymia*; quod  
 ea respectu pluuiae thesaurus uocatur; quibuscum magna  
 copulata est *emphasis*, quae docet, et lectori in memo-  
 riam reuocat, magnum bonum esse tempestiuam pluui-  
 am, in primis in orientis regione, et soli diuinae gratiae  
 acceptum referendum, nec ab alia potentia dari posse.  
 Versus 13 abundat pulchris *metaphoris* capitis, caudae,  
 superioris, et inferioris, quae facile intelliguntur, et con-  
 cinnitati includuntur. Vers. 22 magnificentia, copia et  
 pulchritudine ornatur. Magnificentia hic oritur ex mul-  
 tis malorum generibus nominatis, unde apparet magnus  
 et splendidus summi Numinis apparatus poenarum, qui-  
 bus ingratos malosque affligat; quae simul copiose dicun-  
 tur, quum MOSES etiam breuiter dicere potuisset, Deum  
 multis malis affecturum improbos. Ipsa autem descriptio  
 pulchra est, quod hic omnia ea quasi oculis uidemus,  
 unde tandem exitium nascitur. Et quam elegantes et  
 emphaticae hic non sunt uoces: *percutere, persequi*?  
 Versus 23 exaggeratas habet *metaphoras*, quas si quis hy-  
 perbolas dicere malit, dicat; dummodo non putet omnem  
 hyperbolen uitium esse. Conf. DANIELEM GERDESIVM de  
 hyperbolis ex scriptura sacra eliminandis, Traiecti ad Rhenum,  
 1717, ord. quarti. Sed iam desinam de facultate ora-  
 toria

toria MOSIS commentari, si antea monuerò, quemlibet facile uel ex hac particula orationis Mosaicae, quam tractauimus, perspicere, eam pluribus splendere ornamentis, quam indicauimus, et ubique in ea figuras patheticas promissionis, spei, timoris, etc. adesse.

§. XII.

De poesi  
MOSES.

Iam partem carminis MOSIS, quod *exodi* XV exstat, perlustrabo, eiusque ornatum indicabo. Versus 2 in uerbis: *robur et carmen meum; metonymiam et emphasim* habet. Solus enim Deus Israelitis auxilio fuerat, unde et solus celebrandus erat, solus ipse carmen esse debebat. Versus 3 *periphrasi* constat. Versu 4 uerbum *וַיִּתֵּן* metaphoram et sublimitatem continet. Cito enim Deus hostes aqua texit, nec magis restitere, quam sagitta, dum celerrime fertur. En *metaphoram*. Dum autem exercitum Aegyptiorum cogitas, eorum currus et equos, et tam cito omnia abesse uides, stupes et exanimatus es. Hoc uero factum quid praestare potuisset praeter Dei potentiam? Conuenientissime itaque, et sublimi ratione potentia Dei ostensa est. Versus 8 denuo insignem sublimitatem complectitur. Fit miraculum, aquae cumulantur instar acerui, stant, idque fit, nulla machina, nullis repagulis, ne quidem uerbo, sed solo halitu praepotentis Dei. Praeterea uox *וַיִּתֵּן* *metaphoram*, eamque poeticam, habent; dum aquae coagulatae fuisse dicuntur, quod firmatae steterunt. Versu 10 *אֲרִיִּים* epithetum magnificum est, et poeticum. Versu 12 fundus maris et emphatice et poetice *terra* dicitur, quod Israelitis et Aegyptiis antea uia et terra fuerat. Ceterum MOSES hic egregie hoc miraculum descripsit, et id quod factum

factum est, ita enarravit, quod et alias praestitit, ut omnia pene oculis subiecerit. Ipsum uero carmen dictionem habet grandem et poeticam, reique conuenientissimam, et tamen perspicuam. Omni numero itaque consequutus est, quod THEON sophistes in descriptione exigit, et mihi pag. 121 seq. ita proponit: ἀρεταὶ δὲ ἐκφράσεως, αἰδέσασθαι μὲν μάλιχα, καὶ ἐνάργεια τῶν σχεδὸν ὁρασθῆναι τὰ ἀπαγγελλόμενα. ἔπειτα τὸ μὴ τελέως ἀπομικνύνειν περὶ τὰ ἀκρίβεια, τὸ δὲ ὅλον συνεξομοῖσθαι κατὰ τοῖς ὑποκειμένοις τὴν ἀπαγγέλιον. ὥστε εἰ μὲν εὐανδρὲς τι εἴη τὸ δηλούμενον, εὐανδρῆ καὶ τὴν φράσιν εἶναι. εἰ δὲ ἀσχημὸν, ἢ φοβερὸν, ἢ ὁποῖον δὴ ποτε, μηδὲ τὰ τῆς ἐπιμνήσεως ἀπάρδειν τῆς φύσεως αὐτῶν. Id est: Descriptionis uirtutes hae sunt: perspicuitas quidem et euidencia, prope cerni ut uideantur ea quae referuntur. Deinde et uidendum, ne longe nimis extendantur superuacua. Omnino uero danda opera, ut rebus subiectis similis sit ipsa expositio. Itaque si quid floridum explicandum susceperimus, florida debet esse et elocutio: sin squallidum, horrendumue, aut aliud quodcumque, nec sic a natura illorum orationis discrepabit forma.

§. XIII.

Leges sine dubio, ut ab omnibus intelligantur, De filo uerbis claris enuntiandae sunt, nec tamen plebeiis, nec inhonestis, ne contemptui sint, aut bonis officiant moribus, quos spectare debent. Sic pulchritudinem habebunt in uerbis et decorum. Perspicuitatem in legibus commendat DEMOSTHENES in oratione aduersus TIMOCRATEM p. mihi 471 hoc modo: ὁμαι δὲ πάντας ἀνὸς ὁμολογῆσαι,

γῆσαι, δὲν τὸν ὀρθῶς ἔχοντα νόμον, καὶ συνόσειν μέλ-  
 λοντα τῷ πληθει, πρῶτον μὲν ἀπλῶς καὶ πᾶσιν ὁμοίως  
 γνωρίμως γεγραφοῦναι, μὴ τῷ μὲν, εἶναι ταυτί περὶ αὐτῆ  
 νομίζειν, τῷ δὲ ταυτί. Id est: *Arbitror igitur, confiten-*  
*dum esse omnibus probam legem; et multitudini profuturam;*  
*primum simpliciter, et omnibus aequè aperte scriptam esse*  
*oportere; ne eam alius aliter interpretetur.* Pertinet huc  
 quoque PLATO, qui de legibus libr. VIII, pag. mihi 858  
 seq. ait: ἢ τόγε ὀρθόν, πάντων δὲ γραμμάτων τῶν ἐν  
 ταῖς πόλεσι τὰ περὶ τῆς νόμου γεγραμμένα φαίνεσθαι  
 διατυπόμενα μακρῶ καλλιῶ τε καὶ ἀγίῶ. τὰ δὲ τῶν  
 ἄλλων, ἢ κατ' ἐκεῖνα, ζυγετόμενα, ἢ διαφωνῶντα αὐ-  
 τοῖς, εἶναι καταγέλασα. Id est: *Certe consentaneum est,*  
*ex omni scriptorum, quae in rebus publicis in usu sunt, nume-*  
*ro, ea quae de legibus sunt instituta, hoc maxime praeter ce-*  
*tera omnia prae se ferre, ut longe pulcherrime et optime ex-*  
*pressa uideantur: ceterorum uero hominum scripta, si legibus*  
*consentanea sint, probari: sin. dissentanea, derideri atque ex-*  
*plodi.* Pulchrum autem in elocutione potissimum decoro  
 continetur, quod seruamus, si rationi et rebus congru-  
 enter scribimus. Hinc BERGERVS de naturali pulchritudine  
 orationis pag. 660 seq. *Tanto securius, inquit, suam decoro*  
*uim conditionemque relinquamus, ita quidem, ut, quam-*  
*quam illud sua sese praestantia tueatur, idem tamen, in ora-*  
*tione ex sua spectatum amplitudine, comprehendat non tan-*  
*tum ea, quae rebus, sed etiam illa, quae hominibus, con-*  
*ueniant, idem nos commoneat, nibilo minus hominum, quam*  
*rerum, naturam esse respiciendam.* Iam expendat aliquis  
 leges in MOSE contentas, et inueniet eas esse scriptas  
 uerbis

Univ. Bibl.  
München

uerbis illustribus, quae rebus conueniunt, atque adeo  
 decus habent et pulchritudinem, et optima sunt. Quam  
 uehementer autem honestis uerbis studeat MOSES, facile  
 patet ex leu. cap. XVIII; a quo more neque alias desci-  
 scit. Quomodo autem porci Talmudici de eiusmodi re-  
 bus et factis scribant, uideat, qui uult apud EISENMEN-  
 GERVM in *Judaismo detecto part. I, cap. VIII.*

§. XIV.

Quum itaque ex dictis satis eluceat, MOSEN, *Conclusio*  
 quidquid literis mandauit, rei conuenientissime egisse,  
 et pulchre digneque ubique scripsisse: iure meritoque  
 eum laudibus optimi excellentissimique scriptoris extolli-  
 mus. Potuerant quidem ea, quae in medium protuli-  
 mus, uberius exponi, et dignissimum esset hoc argu-  
 mentum, quod toto uolumine traderetur et illustrare-  
 tur: sed nos nostrum consilium, specimen Acade-  
 micum edendi, exsequuti, reliqua aliis  
 explicanda relinquimus.



PRAE

P R A E S E S  
 NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
 DOM. AVCTORI RESPONDENTI  
 S. P. D.

**Q**uemadmodum nullus dubito, haud aefuturos, qui consilium et institutum TVVM, de MOSIS stilo disputandi, approbent: ita et ego illud iure meritoque laudo. Non solum enim hoc argumentum studio sacro, cui TE dicasti, ualde congruit; sed etiam ostendit, TE uirtutes et elegantias stili sacrorum librorum rite inspexisse, atque adeo tempus in hac Academia bene et laudabiliter collocasse. Quid enim dignius sit cultore diuinæ scientiæ, et quid præstantius, quam scripturam sacram scrutari? Gratulor itaque TIBI hunc studiorum TVORVM successum, et diligentiae specimen, qui ipse dissertationem hanc, a me nonnihil auctam, elaborasti; et Deum precor, ut et in posterum res TVAS secundet, et fortunam TVAM clementer stabiliat. Vale.